
Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

- 1 Mundum et hoc quodcumque nomine alio caelum appellare libuit, cuius circumflexu
2 degunt cuncta, numen esse credi par est, aeternum, immensum, neque genitum neque
3 interitum umquam. Huius extera indagare nec interest hominum, nec capit humanae
4 coniectura mentis. Sacer est, aeternus, immensus, totus in toto, immo vero ipse totum,
5 infinitus ac finito similis, omnium rerum certus et similis incerto, extra intra cuncta
6 complexus in se, idemque rerum naturae opus et rerum ipsa natura. Furor est mensuram
7 eius animo quosdam agitasse atque prodere ausos, alios rursus occasione hinc sumpta
8 aut his data innumerabiles tradidisse mundos, ut totidem rerum naturas credi oporteret
9 aut, si una omnes incubarent, totidem tamen soles totidemque lunas et cetera etiam in
10 uno et inmensa et innumerabilia sidera. Furor est, profecto furor, egredi ex eo et,
11 tamquam interna eius cuncta plane iam nota sint, ita scrutari extera, quasi vero
12 mensuram
13 ullius rei possit agere qui sui nesciat aut - miror! - homines videre quae mundus ipse
14 non capiat.
- 14 Formam eius in speciem orbis absoluti globatam esse nomen in primis et consensus in
15 eo
16 mortalium orbem appellantium, sed et argumenta rerum docent, non solum quia talis
17 figura omnibus sui partibus vergit in sese ac sibi ipsi toleranda est seque includit et
18 continet nullarum egens compagium nec finem aut initium ullis sui partibus sentiens,
19 nec quia ad motum, quo subinde verti mox adparebit, talis aptissima est, sed oculorum
20 quoque probatione, quod convexus mediusque quacumque cernatur, cum id accidere
in alia non possit figura.
- 21 Hanc ergo formam eius aeterno et inquieto ambitu, inenarrabili celeritate, viginti
22 quattuor horarum spatio circumagi solis exortus et occasus haud dubium reliquere. An
23 sit immensus et ideo sensum aurium excedens tantae molis ratatae vertigine adsidua
24 sonitus non equidem facile dixerim, non, Hercule, magis quam circumactorum simul
25 tinnitus siderum suosque volventium orbis an dulcis quidam et incredibili suavitate
26 concentus. Nobis qui intus agimus iuxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.
- 27 Equidem et consensu gentium moveor. nam quem κόσμον Graeci nomine ornamentum
28 appellavere eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum. Caelum quidem haut
29 dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. Adiuvat rerum ordo
30 descripto circulo qui signifer vocatur in duodecim animalium effigies et per illas solis

31 cursus congruens tot saeculis ratio.

1960

- 2 -

32 Nec de elementis video dubitari quattuor esse ea. Ignium summum, inde tot stellarum
33 illos conluentium oculos, proximum spiritus, quem Graeci nostrique eodem vocabulo
34 aera appellant, vitalem hunc et per cuncta rerum meabilem totoque consortum. Huius vi
35 suspensam cum quarto aquarum elemento librari medio spatii tellurem.
36 Inter hanc caelumque eodem spiritu pendent certis discreta spatiis septem sidera quae ab
37 incessu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis. Eorum medius sol fertur
38 amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumque sed siderum
39 etiam ipsorum caelique rector. Hunc esse mundi totius animum ac planius mentem, hunc
40 principale naturae regimen ac numen credere decet opera eius aestimantes. Hic lucem
41 rebus ministrat aufertque tenebras, hic reliqua sidera occultat inlustrat, hic vices
42 temporum annumque semper renascentem ex usu naturae temperat, hic caeli tristitiam
43 discutit atque etiam humani nubila animi serenat, hic suum lumen ceteris quoque
sideribus 44 fenerat, praeclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi
litterarum 45 Homero placuisse in uno eo video.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Knappe Beschreibung des zugrunde liegenden Weltmodells.
2. Die Wörter **mundus** (Z.12,26), **caelum** (Z.1,28,36), **rerum natura** (Z.6,8) sind nach ihrem Bedeutungsumfang kurz zu erläutern.
3. Wer ist der im Text genannte **Varro** (Z.29)? Beurteilung der ihm zugeschriebenen Etymologie.
4. Welche stilistischen Eigentümlichkeiten des Textes sind bemerkenswert und charakteristisch?
5. Welcher wesentliche Unterschied besteht zwischen der *Naturalis Historia* des *Plinius* und den *Naturales quaestiones* des *Seneca*?